



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Lp
45
260

45.260





GEORGIO FRIDERICO SCHOEMANN

PHILOLOGORVM PRINCIPI

DIEM XV M. APRILIS A. MDCCCLXXV

QVO ABHINC ANNOS SEXAGINTA

SYMPOS IN PHILOSOPHIA HONORES ADEPTVS EST

GRATVLATVR

PHILOSOPHORVM ORDO GRYPHISWALDENSIVM

INSVNT

ADOLFI KIESSLING CONIECTANEA PROPERTIANA.

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FR. G. KVNKE.

MDCCCLXXV. —

Lp 45.260

Cato ille Tullianus qui optimum senectutis fructum in vitae bene actae conscientia multorumque recte factorum recordatione ponebat, si his nostris diebus viveret, unum certe adderet commodum, unde iuniorum quoque suboli, quae eum qui ad summos aetatis gradus escenderit officiose colit atque pie veneratur, utilitatem haud sane spernendam capere liceat. Quo quis enim longius in hoc vitae curriculo provehitur, eo saepius in laborum munerumque ante sollemnem annorum numerum strenue susceptorum gnaviterque peractorum memoria iucundissima offertur nobis opportunitas, qua vitam omnibus virtutis bonarumque artium ornamentis florentissimam cum admiratione intuentes pietatis satisfaciamus officio, quo sanctius gratiusque homini nihil esse potest. Nostro igitur ipsorum fit summo commodo, quod hodie rursus nobis contingit ut grata mente laetisque animis Te salutare Tibique omnia fausta precari liceat. Rediit enim sexagesima illius diei lux anniversaria, quo olim ab nostro ordine summos in philosophia honores adeptus es. Inde ab illo die quam indefesso studio quantoque cum fructu Tu litteris nostris promovendis omnem Tuam dicaveris operam et quam praeclaram ac constantem praestiteris fidem almae nostrae matri Gryphiswaldensi, cuius Tu splendidissimum semper fuisti decus et praesidium, cum nemini vel parum docto ignotum sit non est cur multis verbis praedicemus. Cum vero ordo noster constituisset ut scriptum aliquod

Tibi offerretur, quo publico quoque documento in huius festi diei memoriam testificaremur, quanto studio quantaque Te amplectimur pietate, vellem sane hodieque inter nos versari collegas illos ornatissimos, Arnoldum dico Schaeferum et Rudolfum Schoellium, qui studiorum abs Te excitatorum communiōne Tibi coniunctiores ex ea ipsa litterarum Graecarum provincia in qua Tu habitas gravioris promere possent disputationis materiam. Hos vero quoniam temporum vicissitudines nobis abstulerunt, nunc meam accipe benigna mente qualemcunque opellam vicariam, qua iuvenilis ardoris magni poetae Propertii versus nonnullos emendare conatus sum. Quodsi his meis nugis ut severitatem paullisper fronti Tuae excuterem mihi contigerit operae pretium tecisse mihi videbor.

In nobilissimo illo carmine quo Propertius funeris sui acta formamque praescribit [III 13], sepulcri apud posteros famam auspicans ad Cynthiam converso sermone addit [39 sq.]:

Tu quoque si quando venies ad fata, memento.

Hoc iter ad lapides cana veni memores.

Interea cave sis nos aspernata sepultos:

Non nihil ad verum conscia terra sapit.

Primus quemadmodum haec intellegenda sint perspexit Lachmannus, cum ita interpretaretur: 'Tu quoque cum morieris, illo supremo mortis itinere ad monumentum nostrum te conferre ibidemque componi memineris'. Attamen in hac interpretatione id male me habet quod Lachmannus 'hoc iter' de itinere illo tenebricoso unde negant redire quemquam dictum esse statuit. Nimirum haec translatio turbatur eo quod Propertius finem quo iter illud dirigendum sit addidit, scilicet 'ad lapides memores', quo additamento ex Orci tenebris in hanc lucem atque terram revocamur. Ac si quis hoc ex notabili illa cogitationum confusione explicari posse crediderit, qua Augusteae aetatis poetae ea quae ad inferorum regna pertinent cum humanarum exsequiarum ritibus permiscere solent, iam alia remanet difficultas; Confidentius enim Lachmannus 'hoc iter - veni' recte dictum esse contendit. quae enim adtulit exempla 'magnum iter ascendo', 'longum iter proficisci', 'concessum iter redire', 'iter gradiri', ea aliam sequuntur rationem, si quidem in omnibus his verbis eundi notio est primaria, quae ab veniendi vocabulo abest. Hanc vero offensionem qui ita evitare voluerunt ut, sicut nuperrimus editor instituit, sermonem post 'iter' plenius distinguerent et scriberent

Tu quoque si quando venies ad fata, memento

hoc iter: ad lapides cana veni memores.

ii in aliud incurrerunt incommodum, quod 'hoc iter' ita nude positum tantum abest ut viam ad Propertii monumentum nobis monstret, ut is qui haec obiter legat non nisi de via leti omnibus semel calcanda cogitaturus sit. Iam vero quam parum elegans et intolerabilis sit haec verborum qua Cynthia si quando ad mortem venerit mortem meminisse iubeatur unusquisque semel admonitus sentiet.

Denique cum sententiae omnis vis in eo insit ut Cynthia redire ad Propertii sepulcrum iubeatur, ut mixtis ossibus ossa terat [V 7,94], expectamus id ipsum aperte potius significari a poeta quam obscure subindicari. Itaque mutatione opus est. Nescio vero an faciliore ratione omnes illas difficultates quibus horum versum interpretatio impeditur removeare possimus, quam si una tantummodo litterula addita scribemus:

Huc iterum ad lapides cana veni memores.

Increpat Propertius amicam, quod infectos Britannos imitando caput externo nitore tingat et turpem in Romana femina colorem Belgicum comis ementiatur: [III 18, 27.]

Illi sub terris fiant mala multa puellae
Quae mentita suas vertit inepte comas.
De me mi certe poteris formosa videri,
Mi formosa satis, si modo saepe venis.

An satis latine dici possit 'de me mihi formosa videri poteris' nescio: id scio hanc sententiam 'si modo saepe venis poteris mihi formosa videri' satis inepte esse conformatam. Nam amantium indoli unice aptum est ut Propertius dicat amicam satis sic formosam esse si saepe venerit. Hoc qui intellexit Heinsius eleganti et perfacili emendatione pentametrum sic restituit:

Mi formosa sat es, si modo saepe venis.

Sed quid nunc fiet versu qui antecedit? Nam verba 'de me mi certe poteris formosa videri' vix aliter intellegi possunt nisi ita: quod ad me adinet poteris certe mihi formosa videri, videlicet si caeruleo fuco tempora tinxeris, sed satis

mihi formosa es, si modo saepe venis. Quae sententia certe a poetae consilio est alienissima. Immo nisi omnia me fallunt oppositio in Propertii verbis inest, qua Cynthia quamvis aliis hoc externi nitoris studio formosa videri potuerit, ipsi tamen simplex munditiis modo saepe veniat satis pulcra esse dicitur. Quod si recte sensi, lenissima adhibita mutatione verba ita scribenda sunt:

Dementi certe poteris formosa videri:

Mi formosa sat es, si modo saepe venis.

Dementis enim vocabulo eum qui iudicio minus valeat posse significari docent ipsius huius carminis versus primus:

Nunc etiam infectos, demens, imitare Britannos
et Horatianum illud an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis? [Serm. I 10, 74].

Poeta ex Lygdamo servo quaerens quo animo puella, cui amorem iratus renuntiaverat, nuntium ingratum acceperit, num amici iurgia querulo sono repetierit, ipse responsum quale exoptat sibi fingit et puellam haec verba edentem facit [IV 5, 19 sq.]

Haec te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?

Est poenae servo rumpere teste fidem.

Ille potest nullo miseram me linquere facto,

Aequalem nulla dicere habere domo.

Gaudet me vacuo solam tabescere lecto.

Si placet insultet, Lygdame, morte mea.

Distichon quod altero loco posuimus quemadmodum intellegi debeat obscurum est. Priorem enim versum interrogantis esse plerique statuunt et sic interpretantur: quid? potestne ille me miseram deserere, nullo facto, id est cum nihil omnino fecerim? In his autem valde frigent ea ipsa verba in quibus totius sententiae vis inest: 'nullo facto'. Expectamus enim paullo apertiore vocabulo innocentiam puellae declarari, velut 'nullo peccato, commisso'. Sed hoc cum ad

ensum redeat. suapte natura incertum est: certius quod altera enuntiati pars pentametro inclusa

Aequalem, nulla dicere habere domo

nullo pacto cum hexametro conciliari potest. Quae enim conqueritur quod 'nullo facto' relicta sit, eandem minime queri decet quod amicus puellam 'aequalem nulla habere domo' dicere possit. Immo altera haec sunt adseverantis: 'certe mihi aequalem se habere nulla dicere domo potest', illa vero priora erant indignandae interrogationis. Apparet, puto, quam male huius enuntiati partes inter se coeant. Aut igitur pentametri sententia dempta negatione ita conformanda est ut in asseverationis locum succedat indignatio, aut priori versui indignationis color abstergendus. Priorem medelam adhibuit is qui nuper has lyricorum poetarum reliquias edidit cum scriberet

Aequalem multa dicere habere domo.

Attamen hac mutatione quantumvis facili sententia pessumdat, quoniam Propertius non 'nullo vivere consilio' putandus est, sed certae cuiusdam puellae illecebris captus veterem amicam deseruisse videtur; cf. v. 25. 'Non me moribus illa sed herbis improba vicit'. Quomodo igitur aequalem multa domo sese habere dicere potuerit non intellego.

Itaque ad alteram rationem confugiendum est, cum praesertim prior versus peccet contra notam illam certamque Lachmanni observationem, qua veteres in facti vocabulo singulari numero posito subiecti variationem non admisisse docuit [ad Lucr. p. 63]. Accedit quod facti vocabulo praeter hunc locum nusquam Propertius usus esse videtur.

His ratiocinationibus iam eo deducimur ut in hoc ipso vocabulo mendam subesse suspicemur. Atque duplex emendandi via nobis patet: aut enim una littera dempta scribere licet

Ille potest nullo miseram me linqere fato
insolentiore dicendi ratione, aut reponendum:

Ille potest nullo miseram me linqere pacto.

Itaque puella primum indignabunde increpat Propertii perfidiam:

Haec te teste mihi promissast, Lygdame, merces?

Est poenae servo rumpere teste fidem.

Tum pristini amoris recordatione victa confidentius rem a Lygdamo delatam veram esse negat:

Ille potest nullo miseram me linqere pacto,
Aequalem nulla dicere habere domo.

Sed statim ex rivalis puellae mentione surgit acerba amatoris species novo amore luxuriantis:

Gaudet me vacuo solam tabescere lecto.

Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.

At omni in amicum deposita acrimonia perfidiae culpam in rivalis artes confert magicas:

Non me moribus illa, sed herbis inproba vicit:

Staminea rhombi ducitur ille rota.

Vides iam quam bene poeta animum puellae inter iras atque spem fluctuantis depinxerit.

Augusti victoriam Actiacam celebraturus [IV. 8] ingenioso sane artificio poeta delicatus ab ipso in quo quasi habitat amorum argumento protectus explicat primum cur femina se sub sua iura addictum trahat. Timere enim se muliebres animos viresque interdum ultra fines ab ipso sexu statutos virili adsumpto spiritu exsurgentes. Testes eius rei esse Medeam, Penthesileam, Omphalen quae heroas summos iugum pati coegerint, testem Semiramiam, testem denique Aegyptiorum reginam quae illis ipsis temporibus Romanis opprobria armis vexerit,

Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubin

Et Tiberim Nili cogere ferre minas.

At quantumvis Romani femineas minas timuerint, nunc omnia esse salva:

Leucadius versas acies memorabit Apollo.

Tantum operis belli sustulit una dies.

At tu sive petes portus seu navita linques,

Caesaris in toto sis memor Ionio.

His versibus finitur carmen nobilissimum; sed ipsa ultima verba aliquantulum frigent. Cum enim verba 'in toto sis memor Ionio' non possint sine

vi aliqua addita esse, legentem cogitatio subire debet quasi in Ionio tantummodo mari nautas Caesaris memores esse deceat. Porro cum nautae sive in Italiam revertentes sive ex portu egredientes Caesaris memoriam grato colere animo iubeantur, apte ea exhortatio cum Ionii maris et sinus Actiaci commemoratione coniungi potest, siquidem iis qui per haec ipsa loca ante breve tempus immani bello vexata navigant suapte sponte Caesaris victoris recordatio in mentem venire debet. Non video autem quo consilio totius Ionii mentio subiecta sit, qua animus a certae regionis cogitatione revocatur.

Insolentior denique est praepositionis in usus, quemadmodum haec exempla docere possunt:

Tot leviter lymphis tota crepitantibus urbe [III 32, 15]

Cras ut rumor ait tota pugnabitur urbe [V 4, 47]

Hoc verumst tota te ferri. Cynthia, Roma? [II 5, 1]

Difficile ut toto monte volutet onus [III 17, 8]

Et tua sit toto Cynthia lecta foro [III 24, 2]

Luxerit et tota flamma secunda domo [IV 10, 20]

Et miserum toto iuvenem versare cubili [I 14, 21]

Quanta illum toto versant suspiria lecto [III 22, 47]

Respondi et toto solvimus arma toro [V 8, 88]

Praepositionem vero, qua certi alicuius loci adcuratior infertur cogitatio tum addidit Propertius, ubi iam in verbo unde praepositio regitur loci quaedam significatio inest velut:

Aspice ut in toto nullus mihi corpore surgat

Spiritus [III 29, 37]

Tum queror in toto non sidere pallia lecto [V 3, 31].

Praeter hos locos bis tantum praepositio invenitur:

Rumor et in tota non bonus urbe fuit [III 32, 24]

. . . . et tota dicar in urbe potens [III 26, 21]

Patet iam in eo quem tractamus versu praepositionem non ex consuetudine Propertii esse additam, itaque iure nostro id reponere possumus, quod cum a Petro Francio repertum et ab elegantissimi iudicii viro Broukhusio receptum sit cur recentiores editores spreverint satis mirari nequeo:

Caesaris in tuto sis memor Ionio.

Libri tertii carmen vigesimum alterum, quo excusare studet Propertius cur mollior sit in puellas, scriptum est ad Demophoontem quendam sicut ex versibus altero atque tertio decimo adparet:

Scis here mi multas pariter placuisse puellas,
Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.

et

Quaeris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnis?

Nomen fictum esse et latere sub falsa hac appellatione non Graeculum quendam sed amicum Romana stirpe ortum, quales reliqui sunt Propertii sodales velut Tullus, Gallus, Ponticus, iure nostro sumere nobis licet. Invaluit enim Augustea aetate mos quo homines Itali, non quo tecto nomine tutius lacessi possint, sed quasi honoris causa in amicorum lusibus poeticis nominibus graecis notabantur. Ea autem nomina cum propter diversissimas rationes imponi poterint perraro nobis vera hominum nomina indagare licet, sicut Bambergero contigit ut apud Horatium sub Telephi persona latere Proculeium ex simili vocabulorum significatione ostendere posset. Attamen Demophoontem illum quis fuerit nisi vehementer fallor demonstrare possum. Notissimi enim sunt apud Augusteae aetatis poetas Demophoontis atque Phyllidos amores, unde Ovidius epistulae alterius argumentum sumpsit, quosque Propertius cum Thesei composuit perfidia:

Parvo dilexit spatio Minoida Theseus

Phyllida Demophoon, hospes uterque malus [III 24, 43].


Singulari vero carmine hanc fabulam tractaverat unus ex Ovidii Propertiique aequalibus, sicut ex poetarum illius aetatis enumeratione apud Ovidium [ep. ex Ponto IV 16, 20] discimus:

Quique canit domitam Camerinus ab Hercule Troiam

Quique sua nomen Phyllide Tuscus habet.

Nonne agnoscis Demophoontem Propertii?





Lp 45.260
Coniectanea proprietaria.
Widener Library 005855115



3 2044 085 225 712